John Crawford,
M. D.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE NERVOSA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GEORGIUS STEPTOE,
VIRGINIENSIS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque ſolitis.

Aggrediar, non tam perficiendi ſpe, quam experiendi voluntate. CIC. ORAT. ad BRUT.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXVII.

Crawford

NATHANIELI SPENS,

URBIS EDINENSIS CHIRURGO INSIGNI,

MEDENDI ARTIS IMPRIMIS PERITO,

SUO MEDICINÆ ELEMENTORUM

PRÆCEPTORI FIDELI;

ANNORUM PUERILIUM CUSTODI INCORRUPTO

MONITORI LIBERO ET VERE AMICO,

CUJUS TOT TANTAQUE BENEFICIA,

NULLA DIES SIBI MEMORI EX ANIMO DELEBIT,

HUNC PRIMUM REI MEDICÆ CONATUM

D. D. C.

GEORGIUS STEPTOE.

DISPUTATIO

DE

FEBRE NERVOSA.

EX infinitis fere morbis ad medicinam pertinentibus, mihi unam aliquam, de qua potiſſimum agerem, eligenti, febris nervoſa ad animum ſuccurrit. Quae tanto dignior tractatu videbatur, quanto et ſaepius incidit, obſcuriore natura eſt, et plus periculi adfert. Quod ſi ejus naturam explicare, aut periculi propulſandi aut prohibendi aliquam rationem oſtendere, potuero, voti compos ero ; ſin minus, et conatûs magnitudine, et temporis anguſtia, et aetate, me excuſabo.

QUONIAM hic febrilis morbus eſt, quibus notis febris diſtinguenda ſit, quove modo definienda, primum exponam.

In arte noſtra, controverſiarum amplam materiam, utplurimum, praebente, nihil plures ſcriptorum contentiones peperit, quam perpetua febris ſigna; quorum nullum quod ſcio eſt, cui aliquid contra objici non liceat, nullum omni ex parte aptum. Itaque, ut haec quaeſtio difficillima ſit, neceſſe eſt. Quam ob cauſam, omiſſis variis quae ſcriptores notarunt diſcriminibus, quippe qui labor nimius a propoſito longius me abſtraheret, ſigna quibus febrem Sauvagesius diſtinxit, ut reliquis aptiora, referam.

Ille "febris" inquit, "eſt ſyndrome frigoris ſucceſſivique caloris, cum "artuum debilitate, et pulſus vi adaucta, "ſaepe quoad frequentiam."

Idem vir febrem optime mihi videtur diviſiſſe in "continuas vel continentes "proprius dictas, remittentes et intermittentes."

Primarum maxime communis nota eſt, quod toto morbi tempore neque remittunt

tunt inſigniter neque intermittuntur; ſi ſolum excipias, quod univerſis morbis commune eſt, eas incipientes et inclinantes, quam ubi creſcunt vigentve, eſſe leniores.

Remittentes, praeter hanc communem morbis conditionem, etiam acceſſionibus remiſſionibuſque, ab initio earum ad finem manifeſtis, ſed nunquam ex toto intermiſſae, communiter diſtinguuntur.

Absoluta febris diſceſſio primum, deinde reditio, certiſſimum intermittentium ſignum eſt.

Sic febre definita et diviſa, quem hujus ordinis locum febris nervoſa obtineat, deinde eſt inquirendum.

Sauvagesius continentibus febribus eam, ſed ut ego opinor, male annumeravit. Nonnullos praeclaros viros hunc febris ordinem negare video; ob quam cauſam, verbis Sauvagesianis proprius dictas addidi. Quibus intelligendum volui, manifeſtis vel abſolutis remiſſionibus has febres carere; ſatiſque eſt dixiſſe, eas adeo exiguo diſcrimine, adeo cito, breviter, et obſcure remittere,

remittere, ut, ſine ſumma medentis cura et judicio, haud facile res innoteſcat. Verum quaecunque cauſa ſit, hiccine febrium ordo in naturae ſerie locum habeat, dubitandi aut ambigendi ; nam a noſtro propoſito quaeſtio aliena eſt ; certe SAUVAGESIUS haud recte febribus continuis has annumeravit. HUXHAMUS enim, qui febrim nervoſam ſingulari ſapientia et cura tractavit, "Levia frigora morbi incipi-
" entis a ſubitis et incertis caloribus ex-
" cipi, complurium horarum manifeſtam
" requietem dari, et omnia, praecipue ſub
" noctem, cum aucta ſaevitie recurrere,"
teſtatus eſt : Ob quam cauſam, non ad continuarum, ſed ad remittentium febrium ordinem, hanc referendam cenſeo.

MORBI NARRATIO.

SUB adventum febris, primum iners fit homo, levia frigora et horrores, deinde ſubitos, obſcuros, et incertos calores ſentit,

tit, et quaſi poſt fatigationem langueſcit. Simul animi aliquantum dejiciuntur, caput majus aut minus onerari, dolere, aut quaſi vertigine circumverti videtur. Quas deinde notas, nauſea, et omnium rerum faſtidium, nulla memorabilis ſitis, ſaepe vomendi cupiditas, aut pituitae inſipidae tantum vomitus, mox ſubſequuntur. Quae mala, licet interdiu paucarum horarum quandoque requies datur, tamen, praeſertim ſub noctem, adaucta recurrunt. Caput magis magiſque ingraveſcere, et vertigine tanquam rapi videtur; calores creſcunt; arteriae debiliores velocius micant; ſpiritus moleſtus premit. Magnus torpor ſive dolor obtuſus multorum occiput, aliorum ſummum caput, per totam ſuturarum coronariarum longitudinem, invadit.

Sic ſeſe homines quinque vel ſex dierum ſpatium ſaepe habent, vultu gravi et pallido, et, ut non multum aegrotare, ita minime valetudine ſecunda uti, dicendi ſunt. Inquieti et anxii ſunt; plerique ſomno carent; nonnulli autem ſopore

gravi

gravi ita obruuntur, ut, cum adſtantibus dormientium ſpeciem praebeant, ipſi parum conſcii ſeſe dormîſſe negent.

Hoc toto tempore, percuſſus arteriarum citi, debiles, et inaequales ſunt, ac modo trepidant, modo per brevem moram tardantur, atque etiam intermittuntur; rurſus, ſubito incaleſcente vultu, citiſſimi, mox deinde mirum in modum tranquilli et aequales fiunt: Eaque alternatim in iiſdem hominibus incidunt. Neque magis certo ordine calores et horrores procedunt; interdum, ſummis naribus et auriculis frigentibus, frigidumque undique ſudorem fronte, roris inſtar, diſtillante, venae ſubito caleſcunt. Quinetiam, extremis artubus algentibus, vultum rubeſcere ſimul et caleſcere conſuetum eſt.

Urina pleriſque pallet; multis limpida eſt; compluribus ſeri lactis, aut cereviſiae vapidae colorem refert, nihilque ad vaſis fundum dejicit. Contra, diſcreta quaedam, furfuris inſtar, ſine ordine diſperſa,

perſa, ei innatant. Circa initia morbi, lingua raro decolor areſcit; interdum tenui albeſcente muco obducitur. Quae tamen, praecipue ſub inclinationem vel finem, admodum areſcere, rubeſcere, in rimas fatiſcere, vel mali punici librum interiorem colore repraeſentare cernitur. Eadem et fauces aliquando aphthis obducuntur. Labia etiam arida ſunt; nunquam tamen ſitim aegrotans, aliquando linguae ardorem, conqueritur.

Septimo, octavo, vel nono circiter die, capitis vertiginis imago, dolor, et onus multum exaſperantur; ad quae conſtans cujuſdam ſoni ſimulacrum, ſeu aurium tinnitus, aegrotanti moleſtiſſimus, et ſaepe delirii cauſa, additur. Item, circa praecordia pondus, anxietas, et ſaepe conſtrictio circa ſeptum tranſverſum, ſentitur; cui ſaepe puſtulae miliares ſuccedunt. Animi defectiones uſque adeo intenduntur, ut, praeſertim ſi erecti ſedere conantur, deficiente omnino animo, et viribus fractis, collabantur.

Frigi-

Frigidiusculi ſudores frontem et manus averſas, palmis et genis ſimul ardentibus, ſubito occupant, nec minus ſubito decedunt. Si nunc urina magis palleſcit, aut limpida magis fit, delirium, cum omnium membrorum tremoribus et nervorum diſtentionibus, inſtat. Raro tamen vehementer delirant; ac tantummodo, mente confuſa, dictorum et factorum inconſtantia quaedam ſequitur. Secum aſſidue, titubante voce, muſſitant; alii feſtinantur et tumultuoſe ſomno excitantur, et ſtatim ſui compotes fiunt, ſtatimque in ſoporoſum eundem languorem, muſſitantes iterum, recidunt. Lingua, circa ſtatum praecipue, media admodum ſaepe areſcit, utrinque flaveſcit, et ore exorta magnopere tremiſcit.

Circa nonum, decimum, vel duodecimum diem, ſaepe uno eodemque tempore, ſudores frigidi, plerumque circa extrema, large profunduntur: Quos deinde tenuia, alvo effuſa, ſaepe ſubſequuntur; jamque aliquando

aliquando petechiae in ſummo corpore apparent.

Jamque natura deficiens corruit, extrema frigeſcunt, ungues palleſcunt aut liveſcunt; arteriae potius tremunt quam ſolito ordine moventur, quarum percuſſus adeo debiles, adeo citi ſunt, ut neque numerabiles neque diſtinguendi videantur; eaedem aliquando mirum in modum tarde quaſi ſerpunt, ſaepe omnem motum intermittunt.

Laborantes, omni tandem ſenſu perdito, ſtupeſcunt, ac neque ſono neque luce clariſſimis afficiuntur. Delirium in coma profundum, ſomno aeterno mox mutandum, vertitur. Stercus, urina, et lacrymae, neſcio homine, efferuntur, et mortem in propinquo praenunciant: Item vaſti tremores et diſtentiones nervorum totius corporis convulſionem praecedunt.

Haec tantis malis liberatum hominem aeternae quieti tradit.

Febrium nervoſarum aetas incerta eſt; plerumque decimo quarto, octavo, vel

viceſimo die deſinentium; interdum ad trigeſimum vel quadrageſimum uſque perdurantium.

PRÆSAGIUM.

Robur non fractum, arteriae vino accepto validius micantes; circa morbi finem lenis ſudor, alvus ſoluta, ſaliva ſine aphthis mota, parotidis ſuppuratio, puſtulae miliares, largis ſudoribus non praecedentibus, labia et os obſidentes, ſpem futuri promittunt.

Contra, delirium grave ultra dies quatuor permanens, urina pallens, excretiones multum auctae, tempora, thorax, cervices, et caput, pedibus et cruribus frigentibus et ſiccis, ſudantia, nervorum diſtentiones, linguae manuumque tremores, vigilia, devorandi cum ſingultu labor, petechiae, coma, urina et alvus neſciente homine mota, periculum denunciant. Nunc febris nervoſa ab aliis, praecipue a febre putrida, diſtinguenda eſt.

DIS-

DISCRIMINA.

Cum putridae et nervoſae febres plurimis in rebus inter ſe, praeſertim circa initia, accedant, adeoque ſimiles rationes habeant, ut vir doctus Sauvagesius ad commune genus, cui ille Typhi nomen impoſuit, utraſque retulerit, et in ipſo ſaepe uſu male diſcernantur; earum communia ſigna prius exponere, et quibus rebus differant deinde explanare, conabor.

Utrisque febribus communia ſunt plus minuſve horroris, calor fugax et remittens, laſſitudo, moeſtitia, capitis dolores, aurium tinnitus, vomitus, areſcente gutture quodammodo ſitis parva vel nulla, turbatus pulſuum ordo, ſpiritus difficilis, delirium, vultus ſquallidus et gravatus, urina limpida, linguae albedo, poſtremo ſub ſtatum miliares puſtulae prodeuntes.

Quibus quidem notis cum adeo conveniant, tamen, ſi quis altius rem reputet, in unaquaque illarum diſcrimen aliquod inveniet; id quod protinus oſtendam.

"Horror" in putridis febribus, quam in nervoſis, multo major eſt, neque adeo fugax. In his frigora, uti ſupra dictum eſt, levia ſunt, quibus calores ſubito ſuccedunt, ſubito pariter a frigoribus excepti.

"Calor in utriſque fugax et remittens;" in putridis magis acutus manifeſto eſt, et diutius permanet; idem, in aliis corporis partibus alius, nervoſis porro diſcrimen dabit.

"Lassitudo," totius corporis aegritudo cum artuum dolore, et lumbago, putridas comitantur. Contra, in nervoſis, vix ullus artuum dolor; nulla plerumque lumbago eſt.

In putridis, licet nulla humorum prius jactura fuerit, et pulſus ſatis validi videantur; tamen "Moestitia" ſubita et magna eſt. In nervoſis, animi aliquantum ſolum gravati demittuntur, et homines, per ſex vel ſeptem dierum ſpatium ſic affecti,

neque

neque multum quaſi aegrotant, neque integra tamen valetudine utuntur.

"DOLOR CAPITIS" in putridis gravis vehemenſque ab ipſo etiam initio eſt. Interdum alterius vel utriuſque temporis, aut ſuper alterum vel utrumque ſupercilium, certus locus, ſaepe ima oculi orbita, dolent. Contra, in nervoſis, dolor multo eſt obtuſior, et torpori ex frigore orto ſimilis in occipite ſedet. Idem ſic fere ſe per ſeptem vel octo dierum ſpatium habens, deinde pejor indies fit, quo demum tempore aurium tinnitus accedit.

"VOMITUS" in putridis febribus, cum ardore circa ſtomachi ventriculum, cum pondere, cum dolore et ſingultu moleſtiſſimo, incidit; idem prope aſſiduus eſt. Quod autem rejicitur nigri porracei coloris, foedique odoris eſt; at in nervoſis vomitus minus frequens eſt. Plerumque homines nauſeant, et pituita inſipida copia parva exit.

"SITIS

"Sitis nulla vel parva" nervoſis cum putridis incipientibus ſolis eſt commune. Eadem putridis incipientibus vix memorabilis; provectis, maxima atque inextinguibilis redditur. Contra, in nervoſis nunquam magna, ne vigentibus quidem, eſt, ubi lingua et labia arefacta tamen ardent.

In putridis provectis, ſitim aegrotans non querens, et fauces tamen ſiccae prope certum imminentis vel coepti delirii ſignum praebent: Cui rei nihil tamen ſimile in nervoſis metuendum eſt.

"Percussus arteriarum in utriſque sine ordine;" in putridis magis tenſi durique, ſed plerumque citi et parvi, interdum tardiores et ſine ordine viſi, deinde titubantes et inaequales ſunt. In nervoſis, per quinque vel ſex primos dies imbecilli, citi, inaequales, non vero tenſi aut duri; modo trepidant, modo per brevem moram tardantur; ſubinde intermittuntur; mox deinde cum ſubito vultus calore protinus percitantur; brevique poſt mirum in modum

modum ſaepe tranquilli redduntur; qui ordo in iiſdem hominibus alternatim eſſe ſolet.

"Spiritus" in putridis vulgo laborioſus et interpellatus eſſe, item ardens et adſtantibus moleſtus, conſuevit. In nervoſis, moleſtus ſpiritus, non aſſiduus, ſubinde ita redit, ut in ſingultu quodam vel ſuſpirio magis conſiſtat: Porro locus, quem moleſtiae ſedem ipſi afflicti commonſtrant, infra ſeptum tranſverſum eſt, et ſpiritus neque ardet neque adſtantes offendit.

"Delirium" putridis febribus laborantium plerumque ferox, ut phreniticorum, eſt, idem carotidum arteriarum pulſatio et oculorum quaſi inflammatio plerumque praecedunt. Contra, nervoſis febribus impliciti confuſa mente tantum muſſitant, neque multum delirant; quem affectum nulla oculorum inflammatio, aut huic

huic ſimile quicquam, carotidum nulla pulſatio, antecedit.

"Vultus in utriſque Squallidus," ubi in putredine febris conſiſtit, magis ſolito maculatus; in nervoſis, moeſtus et lugubri ſimilis eſt.

"Urina" in febrium putridarum initiis limpida, pallida, cruda, et vapida eſt; deinde iiſdem procedentibus, lixivium merum vel urinam citrinam ſanguine tinctam refert. Eadem nihil ad vaſis fundum dejicit, nubeculam nullam habet; paulatim vero atra magis fit, et vapidam coloratam cereviſiam repraeſentat, grave olet, interdum prope nigra, colore odore graviſſimis, obſervatur. Contra, in nervoſis febribus, licet ſaepe pallens et limpida ſit; tamen ejus eſt non raro coloris cujus ſerum lactis; aliquando cereviſiam tenuem vapidam refert, ubi nihil ad imum vas decidit, aut tantummodo quaedam parum cohaerentia, ei diſperſa, innatant, neque

neque unquam tam acris malè olet, ac in putridis ad ſtatum vicinis.

"Lingua" in putridis "albescens" eſt, ſed indies magis ac magis atra redditur, et modo lucide liveſcit, atra quaſi bulla ſummam occupante; modo nigerrima per multos dies continuos permanet. In nervoſis incipientibus raro ſicca aut decolor eſt, interdum tenui albeſcente muco obductus. Procedentibus tandem iiſdem, ruberrima eadem et in rimas ſubacta, vel mali punici coloremreferens, adparet, ejuſdemque ardorem homo queritur. Haec circa ſtatum incidunt, et mediam linguam, hujus oris utrinque ſimul flaventibus, praecipue diſtinguunt. Poſtremo, lingua exſerta magnopere tremebunda vibrat.

In febribus a putredine natis petechiae plerumque praecedunt, quibus diſcedentibus, ex ſudoribus circa decimum quartum vel quintum diem moveri ſolitis, "Pu-

"STULÆ MILIARES," vulgo ſymptomaticae, ut aiunt, habitae, deinde efflore-ſcunt.

IN febribus nervoſis, fere ſeptimo circiter nono vel undecimo die, puſtulae in cute cernuntur, difficilem ſpiritum, eodem tempore incidentem, ſequuntur, et niſi largiores ſunt, judicatoriae eſſe habentur.

HÆC fere duarum febrium incipientium ita communia ſunt, ut ſperem me certa ſatis ſigna quibus alterae ab alteris illo tempore liquido diſcernantur, commonſtraſſe; nam poſt earundem initia nemo adeo medicinae imperitus, adeo rudis eſt, quin facile rem diſcernat.

EXPOSITIS iis quae febres nervoſas a putridis diſtinguant, omiſſiſque, ut ſupervacuis, notis quibus ab aliis morbis differant, ad cauſas deinceps tranſibo.

CAUSÆ PROEGUMENÆ.

CAUSAE hominum corpora febribus nervoſis opportuna reddentes ſunt, reſo-

luta

luta firma, nervi ſenſibiles, tenuis ſanguis, et talem habitum quaecunque efficiunt; cujuſmodi ſunt animi perturbationes, quarum praecipua melancholia eſt, ſolitudinis conſuetudo, vigilia, et nocturnae contemplationes; item magnae omnium generum excretiones, ut ſalivae profluvium diuturnius, frequens alvi purgatio, ſudores immodici, nimius concubitus, magna ſanguinis jactura; poſtremo, ſi victus naturam reſpicias, crudi et tenues cibi, praeſertim ex plantarum et fructuum aquoſis generibus confecti, potui data tenuia et viſcida, qualis eſt cereviſia non bene fermentata, et ſimilia caetera. Ad

CAUSAS OCCASIONALES

Pertinent humidi et molles dies, aër quieſcens, ſtagnans, aut ſubterraneus, et frigus ad corpora adſpirans.

CAUSA PROXIMA.

Omissis omnibus ſcriptorum de cauſa proxima ſententiis, quarum major pars effectus,

effectus, non cauſam, tractare videtur; meam opinionem protinus interponam. Proxima igitur cauſa eſſe videtur, quod

"Vasa ſummi corporis adeo mobilia "ſunt, ut leviſſimo quoque momento irri- "tentur, in contractiones frequentiores "conjiciantur, ſimul eandem ob imbecilli- "tatem diutius ſe contrahere nequeunt; "pari modo omnia vaſa corporis adeo "debilitantur ut ſuos humores juſto ro- "bore nequeant percitare."

Si quis varia quae in morbo adparent attentius conſideret, is eorum tales affectiones haud non veriſimilem cauſam eſſe fatebitur. Certe ego ad talem cauſam defugi, quia expeditiſſima omnium aliarum ad effectus harum febrium explicandos videbatur.

Neque tamen hanc meam ſententiam non et modeſte et diffidenter propono. Sed noſtra opinio eo probabilior eſſe debet, quo magis non ſolum cum omnibus quae in his febribus apparent conveniunt, verum etiam optimis medendi viis reſpondent.

reſpondent. Ignoſcendumque nobis erit, ſi poſt omnia ad illud, "Cauſa latet, vis "eſt notiſſima," fuerit neceſſario redeundum.

RATIO MEDENDI.

Ex morbi natura et cauſa eum continente ſic explanata, haec tria medendi conſilia oriri videntur.

Spasmum reſolvere;
Robori aegrotantis conſulere; et
Morbi reditui occurrere.

Quanquam ſigna maxime inſtantia haud eſſe negligenda ſcio; quia tamen eorum remedia ſub aliqua harum diviſionum comprehenduntur, non iterum eadem dicenda, nec quartam diviſionem addendam, putavi.

Ad primam materiae aut humoris detractio pertinet.

Sanguinis detractionem in hoc morbo contrariam et malam eſſe, fere inter omnes conſtare video; fieri tamen poteſt ut eadem

in

in nonnullis caſibus reſpondeat; quod ubi fit, ſanguis caute et ex certa parte demendus videtur.

Verum primas vias purgandas eſſe, non eſt dubitandum. Cui conſilio primum vomitum moventia aptantur. Ea ventriculi moleſtiam, ſaepiſſime ac fere ſemper febrium nervoſarum initium comitantem, tollunt: Haec autem a pituita viſcida oritur, ut in frequenti vomendi deſiderio quicquid rejicitur oſtendit. Cumque aegrotans ſaepe neque hanc materiam rejicere neque vomendi irrita conamina ferre, deficiente robore, poſſit, et talis materia difficilius aliis rebus rejiciatur, vomitum arte movendum eſſe manifeſtum eſt. In quem uſum ipecacuanha cum tartaro emetico conjuncta maxime convenit, quod ſimul et foramina cutis aperit et alvum ſaepe ſolvit. Huxhamus "lene," ait, "emeticum naturam minus, quam alvum moventia quae vulgo dantur, turbare, atque utile adeoque neceſſarium eſſe, ubi nauſea, pondus, et aegri-

tudo

tudo ventriculi eſt, quae accedente febre nervoſa ſaepe incidunt." GILCHRISTUS de emeticis, "Cum ſopor," inquit, "et delirium ſexto vel ſeptimo die obreperent, emeticum datum mala per aliquot dies retardavit et modica praeſtitit, vividiorem hominem et totam febrem mitiorem reddidit."

ALVUM purgantia ſimiliter ac ſanguinis detractio nocent; itaque HUXHAMUS, "poſt alvum ita ut vulgo fieri ſolet purgatam, languorem, ſyncopen, et longam aliarum turbarum ſeriem, incidiſſe teſtatur." Idem, "poſt emeticum ſupra memoratum, rhabarbari et mannae aliquantulo alvum purgandam, acriter purgantibus abſtinendum, judicat: quod ſi alvo levato opus eſt, ſecundo quoque vel tertio die, illam lacte, ſaccharo, et ſale immiſſis, optime ſolvi affirmat." Nunc procedendum eſt ad ea quae magis proprie primo medendi conſilio conveniunt.

LENITER autem ſudorem moventia, et non multum ſimul ſtimulantia, maxime

ad

ad ſalutem ſunt. Ea acceſſiones caloris, animorum tumultum et anxietatem quibus adeo afflicti premuntur, tollunt: Cujus generis, ut ego opinor, ſales neutri et tartarum emeticum, plurimum poſſunt. Perſeveret aegrotans ita ſubinde ſumere ut foramina cutis aperta ſerventur, non etiam, ut largior ſudor ſequatur, qui febribus nervoſis inimiciſſimus eſt.

E reliquis ſpaſmum ſolventibus praecipua, nam omnia quotquot adhibita ſunt commemorare longum et ſupervacuum foret, camphora, moſchus, caſtoreum, opium, et pedum balneum, ſunt; quae omnia, ni fallor, vi ſedante agunt. His addere volo veſicantia, quia, ut opinor, ſimili ratione ac antiſpaſmodica agunt.

De virtutibus camphorae medici multum inter ſeſe diſſenſerunt. Alii enim eam ſtimulare, ideoque vaſorum motus augere, contenderunt; alii, iique primi ordinis viri, eandem refrigerare et ſedare judicarunt. Sed experimenta et obſervationes, eam intus acceptam ſomnum

ducere,

ducere, ſpaſmos ſolvere, cor et arterias tardare, ardorem corporis minuere, certe non augere, et foramina ſummi corporis aperire, probant.

Eandem Whyttius, febribus vigentibus et mentem vitiantibus, ubi opium obeſt, conciliare ſomnum teſtatur. Huxhamus, "Anodyna," inquit, "et mulcenti ejus poteſtate erethiſmos in febribus malignis compeſcit, motus animi temperat, ſomnum infert; ubi opiata e contrario animorum motus et tumultus concitarent." Gilchristius, camphoram in febribus nervoſis effluentem et antiſpaſmodicam eſſe, et, ſive plus ſive minus inflammationis ſubeſt, idoneum fieri remedium, afficiendoque ſolida viva eam relaxare et inde ſpaſmum ſolvere, teſtatur. In multis caſibus, camphora opio anteponenda eſt; quia neque pectus coarctat, neque ſpiritum difficilem reddit, neque vultum aut caput tumefacit, neque vaſa ſanguifera implet, neque irritabilitatem, actionibus ejus jam finitis, auctiorem aut

animos oppreſſos relinquit: Quae tamen omnia incommoda opium aſſumptum ſequuntur. Ut igitur illius in febribus nervoſis uſus ſummus ſit neceſſe eſt. Praecipua incommoda camphorae ſunt, quod nauſeam movet; quibus incommodis, ni fallor, carebit ſi ſic fuerit parata. Camphorae grana x. paucis ſpiritus vini puriſſimi guttis adjectis, conterantur; dein amygdalae dulces ſine cortice ſex addantur. Quibus tritis, aquae cinnamomi tenuis uncia et dimidia, et ſyrupi e cortice aurantiorum drachmae tres adjiciantur, atque ſic hauſtus componatur.

Ubi nervi jam diſtendi et membra tremoribus quati incipiunt, moſchus, ſed largius ſolito datus, teſte Huxhamo, ſummum praebet auxilium. Caſtoreum in hoc morbo multum laudatum eſt, et cutis foramina aperire, anxietatem auferre, et ſomnum, ubi opium fruſtra datum erat, reducere, dictum eſt; quae vis certe maxime eſt ſalutaris. Quod tamen multo majore

quam

quam ante ſolitum eſt copia dandum eſſe, experimento nuper probarunt.

Opium libere in hoc morbo, ſed, ni fallor, male eſt adhibitum. Video enim auctores graviſſimos id damnare, neque niſi in extrema neceſſitate, atque ubi camphora ad ſententiam non proceſſit, adhibendum eſſe videtur; ſemper enim corpus irritabilius, abſoluta jam actione ejus, relinquit, et plus mali quam boni plerumque infert.

Haec quatuor ſunt praecipua antiſpaſmodica ſedantia, quae intus aſſumpta hodiernus uſus maxime commendavit. Et ſi quando unum aliquid eorum parum proceſſit, aliud tentatum ſaepe reſpondet.

Pedes in balneum demiſſos ſpaſmis adverſari, medicorum in uſu maxime verſatorum haud dubia auctoritas firmavit. Egregius Whyttius, non humore, calore, neque derivatione, hoc remedium, ſed quadem poteſtate ſedante qua nervos afficit, prodeſſe judicavit; idem, adverſus ſpaſmum, et quaſi omnium artuum vel nervorum

vorum diſtentiones in hac febre aliquando incidentes, item in delirio atroce, pedes vel etiam totum corpus, ſi hoc commode fieri poteſt, in balneum demiſſos, plurimis remediis anteponendum contendit. Saepe, ubi crura frigeſcunt, quod ex ſpaſmo plerumque magis quam ex ſanguinis tardatione oriri veriſimilius eſt, balneum pedum ſecundiſſimum reperitur. Idem ictus arteriarum tardat, molles pleniores que reddit, foramina cutis aperit, ſomnumque conciliat.

Vesicatoria, quorum ratio agendi nondum ſatis, ut opinor, explicata eſt, in hoc morbo plurimum ad ſalutem facere, graviſſima teſtimonia ſunt; nobis ſpaſmis reſiſtere videntur. Incipiente febre, ſi imponuntur, omnia interdum ſaeviora reddunt, nervorum diſtentiones excitant, ictuſque arteriarum tenuiores et contractiores efficiunt: Ob quas cauſas noctu non ſunt imponenda; ſiquidem pleraeque febres, et prae caeteris nervoſae, manifeſto ſub noctem exaſperantur. Quem febrilem ſtatum ſtimulus,

quo

quo illa praedita eſſe cenſentur, auget et intendit. Talis et femoribus veſicatoria rectius imponi videntur, niſi quod caput, ſi laborat, reliquis locis potius eſt cui imponantur.

Hoc aliquot ante horas quam illa imponantur radi, et aqua cui aceti paululum ſit adjectum lavari, homines multum ſaepe levat. Nam, ſi poſt raſum caput ei veſicatoria protinus applicantur, ſtranguria plerumque ſequitur. Mos autem vulgaris plura veſicatoria ſimul adhibendi teterrimus eſt. Nam ſic etiam totius corporis convulſiones et ſtranguria aſſidua creata ſunt, hominesſque eo plerumque perveniunt, ut afflicti, quid ſibi aegre ſit, adſtantibus dicere nequeant. In febribus nervoſis ſedes veſicatoriorum ſaepe exulcerantur; neque ſignum malum eſt. Pejor cutis pallor eſt; quod ubi fit, cardiacis datis robur ſuſtentari debet.

Quae ad ſecundum conſilium medendi attinent, proxime ſpectanda ſunt.

Cum hic morbus prae caeteris in debilitate

litate conſiſtat, ideo robur quam maxime ſuſtentandum ſequitur. Ex medicamentis eo ſpectantibus duo quae potentiſſima ſunt, vinum et corticem Peruvianum, contentus ero exponere.

Vinum, compluribus ante ſtatum diebus et omnibus poſt, immo ſi homo debilis ſit ab ipſo protinus initio, cum bona ſpe dandum. Nihil enim hujus morbi naturae magis accommodatius vino eſſe, inter omnes convenit. Neque dubium tamen eſt, quin intra certum modum dandum ſit; qui utique multo eſt major quam plerumque creditur: Siquidem multi id vini in nonnullis caſibus injectum proſpere ceſſiſſe dixerunt, quod ſatis ad perniciem alii fore non dubitârant; quibus utique viris parcius credendum arbitror. Itaque Whitakerus Galeno, qui vehementer febricitantibus, capite dolentibus, delirantibus, aut ubi febrem inflammationes viſcerum vel fecerunt vel illa has utcunque ſecuta eſt, vinum non permittit, contrarius, " Magna," inquit,

" quantitate

" quantitate ſumptum," ſcilicet vinum, " omnem vehementiam ſedat; nam qualitate narcotica colligit ſenſus, ſomnum conciliat, deliria et acutiſſimos dolores capitis imminuit, aperit obſtructiones, unde oritur putredo, et concoctionem adjuvat." Quae tamen vini laus mihi nimia videtur. Vinum etiam GILCHRISTIUS vehementer delirantibus, et ubi oculi multum inflammabantur, mirum in modum feliciter dedit. Neque delirio vinum adverſari negaverim: Contra, ut illis viris aſſentiam, propria experientia adductus ſum. Cum enim neque aſſurgere neque ſeſe quoquam convertere, quin multo magis delirarent, homines quirent, vino epoto, delirium protinus ſublatum, et homines omnino compoſitos, ipſe etiam vidi. Quae tamen res delirium illud ex debilitate ortum argumento eſt. Verum in inflammationis quovis genere vinum eſſe dandum addubito. Idem GILCHRISTIUS aegrotantes ſic ſomno et quiete compoſitos, opiatis vel fruſtra datis, vel prae

timore

timore negatis, confirmat. Idem, hoc remedium in ſopore pariter ſecundum, ſi modice bibatur, neque animos adeo ac opiata contriſtare, neque corpus adeo relaxare, teſtatur. Porro, gratum in ventriculo ſenſum excitando, ſummopere homines reficit, cibi deſiderium parit, firma roborat, et horum actionem auget; quibus rebus fit, ut humores toto corpore rite citentur, et varia officia facilius et liberius perficiantur. "Sudoribus," inquit Huxhamus, "profuſis et colliquantibus," ut aiunt, "rubrum vinum, ſi opus eſſet, dilutum, proſperrime quidem dedi. Idque ſudorem temperabat, aegrotantem ſuſtentabat, puſtulaſque, ubi ſimul eſſent, miliares, quominus intus recederent, prohibebat." Atque iis tot tantiſque commodis hoc accedit, quod vinum, pleriſque hominibus gratum, et omnibus medicamentis potius, ventriculo facile plerumque retineri poteſt; cum medicamentorum nauſeam facientium farrago vel rejicitur, vel intus remanens omnia mala intendit.

Corticem

Corticem Peruvianum in primis omni tempore efficacem fore, quivis ratione ejus naturae habita opinaretur. Non tamen omni tempore temere dandum, ſed tantummodo, ubi remiſſiones, quas vocant, incidunt, vel ſub finem morbi, maxime cum ſudores liquidi accedunt, tentandum, omnes auctores uno ore conſentiunt.

Ego tamen ab ipſo initio, antequam ullae aliae remiſſiones quam quas ipſe definivi prodierant, corticem feliciſſime procedere obſervavi: Quae vero ſcriptores contra diſſerant accipe, et argumentorum vim cognoſce. Quidam, "ſub febris inclinationem, ubi ſudores abundabant et corporis vires conficiebant, parvis portionibus tincturam corticis Peruviani dediſſe" ſeſe praedicat. Alius, "niſi juſtum laudabile lateritium ſedimentum in urina conſpiciatur, corticis uſum peſſimum eſſe poſſe," hariolatur. Tertius ſic ratiocinatur: "Corticem in febris alicujus acceſſione cum periculo dari; quia ſtimulanti conſtringentique ejus natura, ſpaſmum

 augere,

augere, et vaſa, adeo ut haec ſtrangulentur, anguſtare periclitetur."

An haec corticem in principiis febrium nervoſarum contrarium et malum eſſe demonſtrant? Haeccine experientia fida eſt, et non potius opinionis vanitas, quae nos ab illius uſu revocat? Non igitur experientia, ubi ea nulla eſt, jactanda; et quoniam ratio ſuadet, corticem poſſe etiam initio harum febrium prodeſſe, donec illa aliter rem eſſe demonſtraverit, credendum.

Fieri quidem poteſt, ut quaedam ſint corporum proprietates quibus minus proſit, aut etiam eo tempore illius uſus obſit; verum in aliis, ac forſitan pleriſque, mihi utiliſſimus eſſe poſſe videtur. Atque, utut hoc ſe habeat, ubi morbus aliquamdiu permanſit, ubi robur hominis multum confectum eſt, ubi veſicatoriis impoſitis pallor aut gangraena ſucceſſit, ubi ſudores liquidi cum puſtulis miliaribus dimanarunt, ubi liquidam materiam alvus reddit, ubi aphthae apparuerunt, et manifeſtae putredinis notae circa morbi finem prodierunt;

prodierunt; nemo corticis Peruviani vim ſalutarem addubitavit.

Pauca hoc in loco de cibo et potu dicenda ſunt. Cibi diluti ac alentes eſſe debent; juſculum pullinum, vel cui bubula leviter ſit decocta; gelatina ex ungulis vitulinis confecta, vino et ſucco aurantiorum additis. Genus potionum idoneum eſt, aqua in qua panis vel uvae Corinthiacae, adjecto paululo macis, decocta ſint, vel ſerum lactis vino ſeparatum; item aqua fruſto panis toſto egelida facta.

Cumque initio morbi magna eſt nervorum plerumque ſenſilitas, ideo quies, et corporis atque animi tranquillitas, quam maxime praeſtari; item omnis lux, ſtrepitus omnis, vitari debent.

Nunc ad tertium medendi conſilium tranſeundum eſt. Ei tria medicamentorum genera conveniunt, cortex Peruvianus et alia medicamenta adſtringentia, frigida lavatio, et exercitatio: De duobus poſterioribus ſolum loquendum eſt.

Frigidæ

Frigidæ Lavationis actio ad quatuor res redit; prima eſt modica et aequabilis vis, quae corpus totum comprimit; altera eſt univerſorum totius corporis vaſorum conſtrictio, quae quidem adeo ſubito fit, ut fibras arctius inter ſe comprimat, et firmiores eaſdem ac compactiores reddat, neceſſe ſit. Tertia erit vaſorum addenſatio, firmitatem quam ſpaſmus dat multum adjuvans. Poſtremo, lavatio frigida ſenſibilitatem corporis imminuit, quod majori ſtimulo aſſuetum minoribus minus afficitur.

Exercitatio quantum ad ſalutem valeat, omnis experientia, omnis natura, docuit. Animalia, quae ſolam naturam ſequuntur, quam maxime ſe exercent. Quod exercitationis et actionis deſiderium, omnibus animalibus commune, in hominibus quoque cernitur. Quot morbos, aliis remediis nihil agentibus, exercitatio ſola ſuſtulit! Quot plures prohibuit prohibetque, atque niſi adeo foe-

de

de negligeretur, praeterea prohibere poſſet! In febribus nervoſis ſumma debilitas eſt; ideoque, ut vis vaſorum impellens imminuatur, atque inde impedimenta naſcantur, neceſſe eſt. Ab exercitatione circumfluentes humores magis citantur, qui ideo per vaſa, humoribus minori vi impulſis prorſus impervia, aditum ſibi parant. Facilis autem per vaſa minima humorum meatus facit, ut unaquaeque pars corporis rite alatur, ſanguis quaſi per globulos inter binas laminas expreſſus denſior, magis perficiatur, perſpiratio adjuvetur, omnibuſque robur artubus innaſcatur.

PORRO, quantae utilitati exercitatio, fricatio, et omnia motuum genera ſint, textura et uſus cujuſdam vaſorum ordinis nuper reperti oſtendunt. Repertor, MONROIUS, ex Praeceptoribus noſtris eſt, diligentia, ingenio, et facundia, nulli clariſſimorum nominum ſecundus.

FINIS.